



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO III.

Ex cons. 4. alias 8.

Inquisitor, seu Index, qui multos reos alias sufficienter indicatos, torqueri facit, non data eis indiciorum copia, nec assignato termino ad defensiones suas faciendas, quia non petierunt sibi dari; & in causis procedit bona fide ad eorum condemnationem non repetitis testibus, qui de consuetudine loci ut plurimum non soliti sunt repeti; nec peccat mortaliter, nec non dando copiam indiciorum non petenti ad ullam restitutionem & satisfactionem parti laesae faciendam tenetur. Quia lex de indiciorum copia reo ante torturam danda humana est, & obscure lata, l. cum vnus. §. cogniturum, ff. de quaestioni. & de postulante reo. intelligitur: Non peccat autem, nec meretur poenam non dando copiam indiciorum non petenti saltem in foro conscientiae, quando indicia verè coram Deo sufficientia sunt; c. Deus omnipotens 2. q. 1. maxime cum lex de repetendis testibus, nec Diuini, nec iuris naturalis sit, sed tantum humani; & consuetudo loci a poena saltem temporali excuset; c. si. de consuet. & gl. in c. denique. d. 4. qui vero legem humanam ex causa, quae sibi bona fide videtur iusta, transgreditur, licet verè talis omnino non sit, venialiter tantum peccat. ita S. Tho. 2. 2. q. 96. art. 6. & ibi Caiet. & Nau. in Man. praelud. 8. nu. 14 & c. 23. nu. 42.

DECISIO IV.

Ex consil. 5. deest in Nouis.

Fiscus cum concurrunt fideicommissum, & prohibitio alienandi etiam quoad vitam, vel prohibitio alienandi tantum, non succedit, nec etiam reo viuente aliquid allequi per confiscationem potest. l. Statius §. Cornelio, ff. de iu. fil.

DECISIO V.

Ex cons. 54. alias 41.

Cum excommunicari nemo possit pro peccato praeterito, nisi notorium sit, vel de illo condemnatus fuerit, & parere noluerit; c. nemo 2. 1. q. 3. sed solum pro futuro, vel pro contumacia nolendi pro praeterito satisfacere; c. ex parte. l. de verb. signi & glo. ibi Episcopus in monitorio, publicando, ad finem reuelationis sub poena excommunicationis contra eos, qui nomen Dei, aut sanctos eius blasphemant, vel qui praesentes fuerint, temperate procedere debet procedendo primum per viam visitationis, & inquisitionis generalis. c. 1. de offic. ord. ut sic postea per inquisitionem specialem iuste procedere possit. c. Inquisitionis. de accus.

DECISIO VI.

Ex cons. 1. in Nouis deest in antiquis.

Offensus, licet rancorem, & odium inordinatum dimittere teneatur, c. fin. de poen. d. 5. iniuriam tamen sine praevia satisfactione remittere non tenetur, sed apud iudice, ut delinquens puniatur, tuta conscientia in iure potest. ex S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1.

DECISIO VII.

Ex cons. 2. in Nouis deest in antiquis.

Correctio fraterna criminis occulti a denunciante potest omitti, quando vel peccatum occultum infectuum est aliorum, ut sunt haeresis, & etiam fornicatio religiosorum, ex S. Tho. 4. d. 19. q. 2. art. 3. ad 2. aut alteri nocuum; ut ait Syluest. verb. correctio. q. 6. vel damnum futurum timetur, vel eam probabiliter creditur non profutura: Tunc autem correctio non profutura creditur, quando quis peccat ex malitia & electione, & non ex passione, vel infirmitate; praesumitur autem quis ex malitia peccare, qui frequenter & quasi sine freno peccatum committit, ac si prohibiti non esset ita S. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 8. ad 1. Sed & socium criminis denunciandum secreto superiori tanquam patri, Superiori praecipere, & religio statueri potest, & qui contrarium docet, dogma damnandum tradit, ut ait Iulius 3. in statutis Franciscanis.

DECISIO VIII.

Ex cons. 4. & 5. in Nouis, eadem fere sunt, & desunt in antiquis.

Inquisitionis indicium infamia praecedere debet, etiam quoad regulares, nec sufficit depositio de delicto vnus, immo nec duorum etiam legitime receptorum testium, qui eiusdem criminis socij sunt, de seipsis contra reum deponentes, maxime si mulieres sint. c. Mulierem 13. q. 5. & c. inquisitionis de accus. quoad delicta vero impedienda, aut legitime iam inchoato iudicio, ad coadiuandas alias probationes admitti possunt, modo de delicto futuro sufficienter aliunde, quam a maleuolis & susurrionibus, timendum esse constet.

TITVLVS II.

De Simonia.

S V M M A R I V M.

- 1 Praestationes beneficij imponi sine simonia possunt ex Papae priuilegio.
- 2 Simonijs absoluendis, quando onus monendi complices imponi possit.
- 3 Simonia est, conuenire inter concurrentes, quod alter alteri defectus non opponet.
- 4 Simonia est promittere pensionem soluere, si inueniatur imposita super altero beneficio permutato.
- 5 Simoniaca iudicabitur pactio, ut resigna. arius quid pro resignante soluat.
- 6 Simoniaci sunt pacificentes, ut se mutuo inueniunt in lite beneficij, & qui obtinuerit, alteri pensionem soluat.
- 7 Notarius non potest magis capere pro cabamo, quam Episcopus pro ordinatione.
- 8 Simonia est, dare beneficium, ut illud sibi, vel alij reseruata pensione, resignet.
- 9 Simonia non est, dare spirituale minus principaliter ob temporale, nec contra.
- 10 Causa minus principalis, & impulsua simoniam non inducit.
- 11 Simonia est, resignare beneficium litigiosum, ut resignatarius euicta lite pensionis constitutioni consentiat.
- 12 Resignans beneficium sola intentione ut detur alteri in particulari, non est simoniacus, secus si intercedat pactum.
- 13 Simonia ut sit, sufficit voluntas emendi spirituale eum pacto.
- 14 Simonia est, accipere quid pro lite ris collationis, sicut pro collatione.
- 15 Renunciatio simoniaca realiter ipso iure est nulla.
- 16 Simoniam committit procurator alteri beneficium cum pacto, ut alter ei det aliquid.
- 17 Simonia si sit in ordine, vel beneficio, annexam habet excommunicationem, non autem si sit in pensione.
- 18 Simonia est, soluere pensionem aliquam impediendi expeditionem literarum.
- 19 Simonia conuentionalis ab vtraque parte completa, sit realis.
- 20 Simoniaca est conuentio etiam si per eam promittens nihil perdat, nec pro nisiario queratur.
- 21 Collatio beneficij cum pacto, ut dimidium fructuum alteri detur, simoniaca est.
- 22 Eligentes dignum omisso digniore ad restitutionem non tenentur.
- 23 Electores conuenientes non eligere alios nisi ex seipsis, simoniam committunt.

K

Per-

- 24 Permutatio Beneficij vt suum detur tertio, simoniaca.
- 25 Renunciās beneficium principaliter, vt ob id ad aliud presententur, est simoniacus secus si secundario.
- 26 Simonia non est in utuare episcopo principaliter ob amicitiam, & secundario vt sibi, vel alteri beneficium querat.
- 27 Simoniaca presentatio gratiam subsecutam annullat.
- 28 Presentatio cum pacto, vt presentatus presentatione pro se qui debeat in solidum non est simoniaca.
- 29 Confidentia illicita in resignationibus tantum simplicibus committitur.
- 30 Confidentia ex sola partium intentione in mente retenta non inducitur.
- 31 Confidentia censetur, si resignans a resignatario pensionē, vel fructus capiat.
- 32 Confidentia per verba generalia iactatoria non inducitur.
- 33 Collatio beneficij in fauorem ignorantis simoniam cum tertio commissam est valida, & fructus, dum ignorat, facit suos, sed sciens tenetur beneficium dimittere.
- 34 Resignatarius nolens soluere pensionem alteri, quam resignanti reseruatam preteritu confidentia admissa, ius elidit.
- 35 Renunciatio fructuum decursorum inter colligentes non est simonia.
- 36 Confidentia illicitam non admittit impetrans alicui beneficium, & confidens quod illud postea in sui fauorem sit renunciaturus.
- 37 Intellectus Extravagan. Cum primum. Pij V. in simoniacos.
- 38 Simoniacus in beneficio quamuis excommunicatus sit, non tamen est irregularis.
- 39 Renunciāns beneficium cum spe, quod ordinarius conferet cui ipse volet, non peccat.
- 40 Beneficium absque titulo excipiens peccat, & fructus restituere tenetur.
- 41 Renunciare beneficium, vt detur alteri, non est in iure prohibitum.
- 42 Simonia est remittere debitum pro constitutione pensionis, non tamen incurritur excommunicatio.
- 43 Simonia ut completa sit, sufficit, ut conuenta in parte compleantur.
- 44 Permutatio beneficiorum, & uenditio fructuum alterius simul fieri nequeunt sed diuersi tempore sic.
- 45 Simoniaca conuentio non ex utraque parte completa, non est realis.
- 46 Personatus, seu beneficia personalia, sine ecclesiastica auctoritate institui non possunt.
- 47 Conuentio inter monentem, & alicum, que simoniaca, & que non.
- 48 Beneficium resignans cum pacto ut alter soluat pensionem, simoniam committit.
- 49 Scholaris loco Collegij pretio renunciāns, simoniacus est, & pauperibus acceptum restituet.
- 50 Resignatio cum pacto, & apocha tradita, ut resignans percipiat fructus, dum uiueret, an simoniaca.
- 51 Simoniam committere censetur, qui ante ius in re dat aliquid.
- 52 Mutuare alicui, ne ab incepta permutatione discedat licet.
- 53 Pensionem emens, aut vendens, non excommunicatur.
- 54 Simonia mentalis non inficit actum, nec cogit restituere.
- 55 Simoniam committit tollens impedimenta, que iuridice ad quarendum beneficium opponi possunt.
- 56 Beneficium qui bona fide suum esse credit, licet non sit, eadem deseruere totas distributiones lucratur.
- 57 Beneficium ante irregularitatem adeptum ipso iure non perditur.
- 58 Beneficium alteri interuentu Simonie procurans est excommunicatus.
- 59 Simonia est, dare aliquid pro dimissorys impetrandis.
- 60 Beneficium per simoniam ignoranter commissum adeptum est renunciandum.
- 61 Beneficium ob simoniam renunciatum, renuncianti denuo conferri non potest.
- 62 Canonicus ob simoniam se ignorante admissam denuo creatus, ultimum locum occupat.
- 63 Ordinatus scienter per simoniam est irregularis.
- 64 Fructus beneficiorum male percepti, tribus modis restitui possunt.
- 65 Pensionem redimere, & obligationem eam si luendi diuersa, hoc sine auctoritate Papa fieri potest, illud non.
- 66 Litis beneficiaria copositio auctoritate iudicis fieri potest.
- 68 Simonia in collatione per tertium commissa parti eam ignorantanti non nocet, nisi quod illam resciscens, statim renunciare debet.
- 68 Degradatio actus spiritualis, sicut promotio ad ordines, pretio isle fieri nequit.
- 69 Ius patronatus pretio conducens, simoniacus, sed non excommunicatus.
- 70 Vicariatum episcopi pretio conducens, simoniam admittit, non tamen excommunicatur.
- 71 Concordia vt unus iuri suo renunciet, & alter pecunias det, iure fori simoniaca censetur.
- 72 Prelati regulares possunt ad nutum, & sine causa priuare subditos officijs.
- 73 Simonia est, pro admissione ad religionis habitum quid accipere.
- 74 Simonia an sit, episcopo dicente, conferam tibi tale beneficium si tu mihi 20. impensa pro alendo, predecessorem tuum captum soluas.
- 75 Beneficiarius retinere beneficium non ualet, habita scientia de simonia per mediatorem impetratiue commissa.
- 76 Valoris dolosa expressio pernicii, sum mendacium, & gratiam facit surreptitiam.
- 77 Confidentaria censetur retrocessio beneficij intra breue tempus secuta, & non alias.
- 78 Simonia sola voluntate committitur, si d. pena eius non incurritur.
- 79 Beneficium si quis resignet in manibus ordinarij, pacto promisso, vt conferatur tali, est simonia.
- 80 Simonia non dicitur reciproca, quando non interuenit pactum, nec conuentio.
- 81 Resignans beneficium in manibus ordinarij cum spe, quod conferat alteri, pro quo rogauerit, non est Simoniacus.
- 82 Simoniaca renunciatio est ipso iure nulla, & omnia, que post illam sequuntur.
- 83 Mediator rogatus, vt oblata restitutione expensarum Bullarum suadeat alicui resignationem beneficij, an, & quando simoniam committat.
- 84 Resignanti pacisci non licet, vt alius beneficium aliud renunciet.
- 85 Simonia conuentionalis est, si resignanti promittatur, quod fructus percipiet.
- 86 Simoniaca est omnis renunciatio beneficij cum pacto etiam conuentionali.
- 87 Competitori digniori, si vt desiit, promittatur temporale, est simonia conuentionalis.
- 88 Permutatio pinguioris beneficij cum minus pingui cũ pacto, est simoniaca.

- 89 *Confidentialis simonia est, si compermutantes pacifcantur.*
- 90 *Simonia crimen, etiamsi detur res modica, graue peccatum est.*
- 91 *Examinator, an promouendum in actu examinis clariorem reddendo, penas incurrat.*
- 92 *Fauorem, apud alium interponens pro aliquo ad Cardinalatum promouendo, an sit simoniacus.*
- 93 *Simonia an sit extinguere pensionem, vt alter annua illi praestet.*
- 94 *Venia peccati non datur nisi correcto.*
- 95 *Simoniace de beneficio: si pensione prouisus, interim fructus facit suos.*
- 96 *Resignarius pecunias pro expeditione literarum resignanti mutans, an sit confidentarius.*
- 97 *Resignarius accepta possessione beneficii, resignanti an aliquid dare possit.*
- 98 *Resignans an post resignationem, & captam possessionem a resignatorio, vicarius ad regimen beneficii constitui possit.*
- 99 *Confidentarij promittentes resignanti retrocedere, an olim pacta seruare teneantur.*
- 100 *Beneficio, post eius erecti nem vacanti onus imponi potest a superiore, non tamen persona de eo prouidenda.*
- 101 *Paruus petens, aut exigens aliquid dari solum pro benedicti one nuptiarum, non est simoniacus.*
- 102 *Extraneus Pij V. contra simoniacos lata inhabilitans simoniace acquirentes beneficia, non ligat acquirentes pensionem.*
- 103 *Ignorantia probabilis a censuris & penis excusat.*
- 104 *Mediator simonia restituere tenetur fructus beneficii ex causa suae mediationis male perceptos.*

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 3.

Prestationes ab immemorabili tempore alicuius ecclesie Canonis in collatione beneficii, siue a Papa, siue ab ipsis Canonis facta, solui solita sine labe Simonie solui, & accipi possunt. Papa enim huiusmodi annate solutionem facientem predictis canonicis, seu capitulo eorum ad se honeste sustentandam, quoties beneficium vacauerit imponere potest, arg. extra. Suiccepti. Ne Sede vacante, is cui beneficium confertur iuste sine simoniae vitio conferenti, vel cuiuslibet alij in tituli acceptationem promittere potest, quicquid iuste post acceptationem debet: Quia expressio eius, quod tacite intelligitur, simoniam non inducit: Glo. in c. ad audientiam 2. de rescript. & praestatio huiusmodi immemoralis iustitiam dandi, & accipiendi causam esse praesumitur. cap. super quibusdam. de verbor. sign.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 101.

Quamuis aliquando Confessarius, vel Penitentarius Summus, vel Minor ei, qui simoniam admisit, & absolutionem a peccato, vel a censuris petit, iniungere possit onus mouendi eum, cum quo simoniam admisit, vt eius penitentiam, & restitutionem faciat quam ob id facere tenetur, nihil enim quando ex circumstantijs personarum, & causarum cogitur, id absoluendo nimis graue non fore, & prodesse possit, & non obesse apparet; Id tamen regulariter faciendum non est, cum nec vlla ratio in iure Diuino, Naturali, aut humano fundata reddi possit, cur magis teneatur simoniacus admonere sui peccati confortes, & complices quam in alij, qui alia grauissima peccata committunt, & censuras grauioribus, quam simoniaci incurrunt. Nec lex vlla sit, quae hoc onus simoniaci imponit, capit. Quoniam. cap. cum essent, & capit. Nobis. de simonia.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 40.

Dvo clerici opponere se volentes vni beneficio patrimoniali vacanti, & vnus eorum minus dignus, alteri digniori opponere volens irregularitatem, veram quidem, sed occultam, quam probare non potest, nec in iudicium deducit, sed interuentu amicorum conuenit inter ambos, vt omnibus exceptionibus omissis se submittant examini, & qui iudicatur dignior, habeat beneficium, & alteri pensionem annuam cum beneplacito Sedis Apostolicae soluat; & deinde dignior dispensationem super irregularitate, & retentione beneficii obtinet, nulla tamen facta mentione de praedicta conuentione; talis collatio propter praecedentem irregularitatem est nulla; ex Innoc. in cap. cum nostris de confess. praeb. & cap. cleri. de cler. excom. ministr. & tenetur digniori, cui collatum est beneficium ad restitutionem minus digno faciendam eo modo, quo impediens aliquem ab officio, vel beneficio consequendo tenetur: ita Na. in Man. c. 17. nu. 69. Quia minus digno fuit ius ad rem quaesitum in beneficio coram Deo, & in foro conscientiae, & huiusmodi conuenticio de non opponendo alteri exceptionem propter promissionem pecuniae, est simoniaca ex Nau. in Man. c. 23. nu. 100. non quidem realis, quia non fuit ab vtraque parte impleta, sed conuentionalis solum, eo quod licet minus dignus adimpleuit eam non opponendo digniori tamen non adimpleuit constituendo, aut soluendo pensionem, & consequenter non fuit incurta ipso iure excommunicatio, nec irregularitatem nouam celebrando incurrit.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 51.

Dvo volentes beneficia sua permutare, & conuenientes, quod si vllum illorum beneficiorum inueniatur aliqua pensione grauatum, is, cuius erat illud ante permutationem, pensionem illam solueret, Simoniam saltem conuentionalem committunt; quia interuenit pactum, quod est medium permutationis faciendae, & omne tale renunciationem, collationem, & permutationem simoniacam efficit, cap. quam pio. 1. q. 2. & cap. si de pact. Quod si consecrata, postea permutatione, ordinarij auctoritate, nulla de praefato pacto facta mentione, appareat alterum illorum beneficiorum esse pensione grauatum, is, qui ante permutationem pensionem debebat, si pensionem, antequam impetretur facultas a Papa id faciendi, soluat, simoniam, quae prius conuentionalis tantum fuit, (eo quod solum promissio de soluendo pensionem praecessit, quae nondum impleta fuit, & proinde ad simoniam realem non peruenit) realem soluendo committit, cum iam ex vtraque parte impleta sit promittendo scilicet & soluendo, ita Na. in Man. c. 23. nu. 106.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 25.

Pactio, qua renunciarius certam pecuniam pro renunciante beneficio soluere promittit, si in fauorem suum illud resignet, conditione impleta, simoniaca est ex vtraque parte, cap. quam pio. 1. q. 2. & c. fin. de pact. & renunciatio talis vt pote simoniaca, nulla, & inuvalida est, ita Innocent. in cap. cum vniuersorum, de rerum permutat.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 47.

Dvo litigantes super beneficio, quod vterque per statuta foundationis sibi debitum esse contendit, & superuenientibus alijs litigatoribus eadem ratione sibi debitum contendentibus conuenientes inter se, vt mutuo se se contra alios inuent, & alteruter eorum, qui obtineret, alteri constitueret certam pensionem, & vt impensa essent communes, quae omnia, excepta poena pecuniaria, sub qua se ad id obligabant, beneplacito Papae subderunt, ita quod sine illo nulla essent, & praeterea, vt communibus impensis beneplacitum impetraretur: Post

K 2 que